

1.3.15

*Idem AA. Studio pu.*

Conventicula illicita extra ecclesiam in privatis  
aedibus celebrari prohibemus,  
proscriptionis domus periculo imminente, si  
dominus eius in ea clericos nova ac tumultuosa conventicula<sup>9</sup>  
extra ecclesiam celebrantes susceperit.

*D. IIII k. Sept. Constantinopoli Honorio A. VI et Aristaeneto cons. [a. 404]*

1.3.16

*Imp. Honorius et Theodosius AA. Anthemio pp.*

Quisquis censibus fuerit adnotatus, invito agri do-  
mino ab omni temperet clericatu, adeo ut etiam, si  
in eo vico, in quo noscitur mansitare, clericus fuerit,  
sub hac lege religiosum adsumat sacerdotium, ut  
et capitacionis sarcinam per ipsum dominum agnoscere  
compellatur et ruralibus obsequiis quo maluerit  
subrogato fungatur, ea scilicet immunitate indulta,  
quae certae capitacionis venerandis ecclesiis relaxatur:  
nullo contra hanc legem valituro rescripto.

*D. prid. k. Mart. Honorio A. VIII et Theodosio A. III cons. [a. 409]*

1.3.17

*Idem AA. Monaxio pp.*

Placet nostrae clementiae,  
ut nihil commune clerici cum publicis actibus  
vel ad curiam pertinentibus, cuius corpori non  
sunt adnexi, habeant.

¶ Praeterea eis, qui parabalani  
vocantur, neque ad quodlibet publicum  
spectaculum neque ad curiae locum neque ad iudicium  
accedendi licentiam permittimus, nisi forte singuli  
ob causas proprias et necessitates iudicem adierint  
aliquem lite pulsantes vel ab alio ipsi pulsati  
vel in communi totius corporis causa syndico ordinato:  
sub ea definitione, ut, si quis eorum haec violaverit  
et brevibus parabalani eximatur et competenti  
supplicio subiugetur nec umquam ad eandem  
sollicitudinem revertatur.

*D. III k. Oct. Constantinopoli Theodosio A. VII et Palladio cons. [a. 416]*